



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Defensio Abbatiae Imperialis S. Maximini**

**Zyllesius, Nicolaus**


**Treveris, 1638**

28. Theoderici Abbatis S. Maximini Declaratio & Constitutio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14268**

deth, Daleheim, Murmirdinga, Druhildinga, Lische, Scitlinga, Mambro, Linniche, Miersche, Euerlinga, Fula, Astillabrunna, & quod in pago Blefense, siue Salnense, aut Sallingowe, vel iuxta Metensem Urbem in villa Willere, aut in ipsa Ciuitate in vineis aut areolis habere videntur. Curtem etiam quandam vocabulo Prichina vltra Rhenum fluuium sitam, quam genitor noster Henricus piæ memoriæ Imperator Augustus per præfatum Theodoricum Abbatem cuidam Anshelmo ministro suo beneficiari præcepit, sed postea pœnitentia ductus, & beati Leonis Papæ atque Agnetis Genitricis nostræ pijsimæ interuentu commonitus, eidem loci fratribus reddidit atque firmavit, ita & nos illius exemplum sectantes, eandem curtem cum omnibus rebus ad eam iustè & legaliter pertinentibus Sancto Maximino & Fratribus sibi seruientibus ab ista die & deinceps per interuentum Bertræ contestalis nostræ dilectissimæ reddimus atque firmamus, & vt sagimen & femoralia, mantelas & mensalia inde habeant, & hospites ac pauperes inde suscipiant, statuimus atque iubemus, & vt nullus successorum nostrorum Regum vel Imperatorum, neque Abbas aliquid de prædictis Curtibus vel Ecclesijs præter hæreditaria seruientium beneficia cuiquam præstare præsumat, firmissimè interdicimus. Harum omnium rerum testem cartam hanc inde conscribi, & Sigilli nostri impressione iussimus insigniri.

Signum Domini Henrici Quarti Regis. Sigehardus Cancellarius ad Vicem Sigefridi Archicancellarij recognoui. Data III. Idus Iulij. Anno Dominicæ Incarnationis MLXVI. Indictione IV. Anno ordinationis Domini Heinrici IV. Regis XII. Regni vero X. Actum in Triburia in Dei nomine. Amen.



28.

*Theodorici Abbatis Sancti Maximini Declaratio  
& Constitutio.*

**I**N nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Notum sit omnibus fratribus nostris tam præsentibus quàm etiam futuris qualiter ego Theodericus Cœnobij S. Maximini Abbas indignus, in ipso momento, cum mihi data esset Abbatia à Domino meo Imperatore tertio Henrico multis precibus ab eodem conuictus & ipsius autoritate ad primam eius petitionem nimium cōstrictus, illud maximum bonum de Brechena cuidam fideli suo, Anselmo nomine, non sine multis lachrymis in præsentia ipsius Imperatoris mea manu vsq; in finem dumtaxat vitæ suæ præstiterim. Seruientes itaque excepimus, quos Domina Wendela, dum ipsam Curtem Sancto Maximino tradidit, habebat, quos Scaremamos vocamus, qui cum viginti mansis terræ à nobis retenti sunt, & nullatenus ipsi beneficio adiuncti. Hi enim nobis in Curte Sancti Maximini & vbi

opus fuerit, cum cæteris nostræ familiæ militibus seruire debent, nullique Ad- uocato vel Domino debent obedire nisi nobis, nec alicuius nisi parium tuorum subiacere iudicio. Nomina eorum sunt hæc. Azecho & Regulo cum tribus fratribus eorum. Rucher cum Clerico vno, Hucercho, Guntram, Meiso, Inuza cum filijs suis & alij complures. Qua de re precor in nomine Domini nostri Ie- su Christi, ne quis successorum meorum, me in hoc reprehendat, vel malè di- cta mihi ingerat, quasi ego volens & libera vtens potestate, tale bonum vnquã præstiterim, sed Deum testor & Sanctos eius, quod inuitus & valde coactus hoc feci, quia nisi ego, amicorum vsus consilio illud propria manu præstitissem, Do- minus meus Imperator illud ei perpetuo dono tradidisset. Post mortem Ansel- mi, eum iam sperarem, immò securus essem prædictum bonum ad Ecclesiam debere redire: Ecce vxor illius & Guntramus filius eius, & Gerlach, & Otto, & omnis illa parentela prædictum Imperatorem adierunt, & vt hoc ipsum bonum Guntramo filio eius præstarem assiduis precibus pulsando vix tandem impe- trarunt. Postea vero orta seditione inter me & Archiepiscopum Eberhardum, cum rei ita poposcisset necessitas vt Castrum S. Maximini custodire ac munire deberem, eidem Guntramo, vt ad me veniret, & intra Castellum nostrum cum suo sumptu excubias faceret, vsque tertio mandauit, sed nullo modo hoc effice- re potui. Tandem ad vltimum post legitimas inducias eum ad rationem posui, & iusto iudicio suorum parium beneficium quod ex me tenebat ferè, ei auferre debui, sed obtentu Domini mei Imperatoris, quia ipse pro eo intercesserat, tali modo eum placitate permisi, scilicet vt ex prædicto bono XII. mansos mihi Ec- clesiæq; redderet, & deinceps singulis annis XII. porcos saginatos, & totidem Ca- miffalia fratribus pro vestitura persolueret, & quamdiu hoc faceret beneficium suum liberè teneret. Si verò aut ipse in vita sua, aut aliquis suorum successorum hanc constitutionem à nobis, & à fratribus Ecclesiæ factam, & ab eo collauda- tam infregerit, illico totum beneficium perdat, & ipsum bonum cum omni integritate sua ad Ecclesiam redeat. Vt ergo hæc nostræ Constitutionis pagina per succedentia tempora posteris nostris innotescat, hanc descriptionis char- tulam fieri iussimus, & vt plenior in Dei nomine obtineat firmitatem, Sigilli impressione, scilicet Sancti Maximini iussimus insigniri.

29.

*Henrici IV. Imperatoris Datum Spiræ, Anno MCL.*

**I**N nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Henricus diuina fauente Cle- mentia Tertius Romanorum Imperator Augustus. Notum sit omnibus tam futuris, quam præsentis temporis fidelibus, quoniam duas Curtes, Suab- heim & Euernesheim, quæ iure fratribus de Sancto Maximino Treuitensi ser- uire debebant, sed ob negligentiam Abbatum, & malorum hominum cupidi- tatem fratribus abalienatæ fuerant, & in beneficium datæ fuerant, nos quoque in beneficium donauimus, quia ipsos Abbates eas in beneficium dedisse cogno- uimus, sed diuina misericordia nos exterius graui corporis molestia corripiente, interiùs vero occulta sua inspiratione clementer monente, contra Deum & Sanctum Maximinum nos peccasse recognouimus, & quod deliquimus, ex to- to pectore corrigere proposuimus, sperantes nobis diuinam gratiam, meritis & intercessionibus Beati Maximini reconciliari: Graui igitur corporis agritudi-